

ARTICULUS I.

*De Mentis humane spiritualitate.*

I. **M**ENS humana est id, quod in unoquoque nostrum cogitat; a Scholasticis vulgo definitur, *Spiritus creatus completus*, qua definitione secernitur ab Angelo, quatenus mens humana destinata est informando corpori, & cum eo apta est constituere totum *substantiale*, nempe hominem.

II. Per *Corpus* seu *materiam* intelligimus substantiam extensam, divisibilem, solidam, ex variis partibus variarum figurarum contextam. Per *spiritualem* vero substantiam intelligimus substantiam expertem materiae, seu quae extensionem, divisibilitatem, & soliditatem excludat. Quaestio est igitur utrum id quod in unoquoque nostrum cogitat, sit substantia expertis extensionis, divisibilitatis, soliditatis &c.

III. Inter veteres permulti fuere, qui materialem animam, & veluti quoddam tenuissimum corpus ex subtilissimis particulis igni, vel aeri similibus, celerrimoque motu agitatae constatam fecerunt. Neque etiam hodie desunt increduli perversissimi-que homines, qui eundem perniciosissimum errorem tueantur. Cum hac nefaria sententia confundi non debet haud satis accuratus loquendi modus a nonnullis Scriptoribus ecclesiasticis aliquando usurpatus. Aliqui etiam Ecclesiae Patres humanam animam, Angelos, Deum ipsum *Corpus* vo-